Quaestio Phisiologica
. . . .
Cui conabitur Stephanus
Bertier . aquensis
pro Baccalaureatu

(P)
52925/P
BERTIER, E.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30353233

QUÆSTIO
PHISIOLOGICA

An ex ſemine ſicut Animalia & Plantæ generentur Lapides.

Quam Deo duce & auſpice Dei para

AUSPICIIS

Perilluſtris & Nobiliſſimi Domini
D. BALTHAZARIS FEDERICI
RUFFI

Aven. Academiæ. iterùm Primicerii, Rectoris, Judicis & Privilegiorum Conſervatoris.

SUB MODERAMINE.

ILLUSTR. AC. NOBIL. D. D.

JOANN. BAPT. GASTALDY,
Regis Chriſtianiſſimi Conſiliarii & Medici ordinarii, Medicinæ Doct. Aggreg. Exregentis ordinarii, ſeu Profeſſoris primarii & Botanici.

TUERI CONABITUR

DOM. STEPHANUS BERTIER Aquenſis In Aula Univerſit. Die. 13. Novembris 1716. h. 2.

PRO BACCALAUREATU.

AVENIONE,

Apud CAROLUM GIROUD, in foro Cambii.

M. DCC XVI.

312382

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

QUÆSTIO PHISIOLOGICA

AN EX SEMINE SICUT ANIMALIA ET PLANTÆ, GENERENTUR LAPIDES.

PRO BACCALAUREATU.

I.

RERUM mater atque cuſtos generatio, perdulce & mirandum opus, quod omnia appettunt animantia, huic & plantæ ſubmittunt flores illius & illecebris fortaſſis delectantur etiam lapides; abſtruſum ſane negotium, ſed quo minus notum eo mirum magis obſtupeſcentem ſuſpendit animum tot phænomenis ſtipatum nodum ſolvere nullus non contendit, hinc fertilis diſputationum campus, hinc variæ hipotheſes.

Ex ovo naſci volucres nemo neſcit; exinde animalia oriri vivipara naturæ legibus non repugnat vivipa-rara intus, ovipara extus ova fovent; huic partium mulieris generationi inſervientium mechaniſmus favet opinioni; globulorum mirabilis congeries, teſtes muliebres, tubarum uteri muſculoſa ſtructura, fimbriarum motus ac vis elaſtica, earumque figura ſingularis ova perfecta & oviductum non ſecus ac in avibus indicant hanc inprœdictis globulis microſcopii ſubſidio, in tubis quoque nec non in abdomine nudis oculis detecti fœtus, matri heu nimium funeſti in concuſſam, inexpugnabilem reddunt.

I I.

Sed ne forte putes animalia ſola teneri Legibus his: eadem ratio res terminat omnes Lucr lib 2.

NEc plantas ex ovis prodire dubitare licet: ſemina enim plantarum quid ſunt niſi ova, ineſt eis germen compendium plantæ ea nutrimentum alendo germini ea nutritio-

tionis organum referunt, cui enim uſui quæſo pars illa farinacea ſulfureaque intra corticem collecta niſi ut per eam plantula ſicut animal intra putamen ex albumine & vitello nutriatur. Bina illa craſſaque folia plantæ ſeminali hærentia mox placentæ, mox cotyledonum vices explent, humorem ſcilicet nutritium e terreno utero emanantem admitunt elaborant eo ſane fine ut antequam plantula ſui juris facta alimoniamque peros id eſt per radices capeſcere apta ſit. Ipſa ab his per umbilicalia vaſa ei ſuppeditetur.

Eas etiam per viam maris & fæminæ propagari haud incongruum venit; ſolers natura una ſemper eadem que eſt; cum plantis motus deſit utrumque ſexum in uno eodemque ſubjecto ut plurimum coegit, illud videre eſt in lilii flore piſtillus fæminæ, ſtamina maris vices obeunt.

III.

DATA animalium plantarumque de generatione hipotesi ex ovis; quidni etiam ex ſimilis naturæ

corporibus generatio & lapidum, quis attento animo naturæ progreſſum intuitus figuras ſingulares proprias ac determinatas ſingulis lapidibus ejuſdem ſpeciei conſpicuas, fibras, meatus, cava ſecuriculas omnium harumce partium artificium elegantiſſimum contexturam connexionem in fortuitum ſalis ſulphuris aquæ & terræ concurſum, & majorem aut minorem horum-ce principiorum cohæſionem digeſtionem refundi poſſe exiſtimet; nec me movet a non nullis allatum typos adeſſe ex quibus hæ variæ lapidum effinguntur figuræ, nullibi enim inveniumtur typi & quis quæſo in illis confringendis occultandis laboraſſet, errore arguunt hanc de typis opinionem caracteres in rupe viva inciſi initio concavi mox proſtyporum in modum pro minuli, fractique lapides callo mediante conjuncti. Unde igitur tot admiranda tot lapidum repetenda phenomena, accipe, a ſemine ortum habent, in illo ſicut animalia in ovo lapides compendioſè continentur, ex principiorum miſcella & fermentatione inde orta partes inſenſiles evolvuntur ampliantur minime

per juxta poſitionem ſed ex ſucco nutritio intus ſuſcepto creſcunt, augentur adoleſcunt.

I V.

NEc caret veriſimilitudine hoc ſiſtema imo & naturali pulchritudine exurgit. Ex minutulo corpore organico naſcuntur, homines, Quadrupedes, aves, Piſces, Reptiles, Plantæ, Lapides, Hos, (licet corpora ſint admodum dura) vaſis pollere nec difficillimum eſt, horum ope alibiles ſucci e terra prodeunt, mox in totam lamellarum compagem diffunduntur, cochleæ, animalium oſſa ſimiliter & plurima ligna, ejuſdem ſunt duritiei, quis bonæ mentis Phiſicus, in illis Canales negare commentus.

Nec ſemina lapidum dicas nullibi videri exiſtentiam haud excludit horum-ce corporum organicorum infinita pœne tenuitas, oculis tantummodo mentis percipi, atque illis unice datum qui præjudiciis liberi rationi magis quam ſenſibus innituntur quis in ficu quis incorallio flores, quis in

ſuco marino ſemen aſſerere auſus; hoc tamen noſtro ſæculo microſcopio munitis innotuit, nec de reliquis hactenus inviſibilibus deſperandum, creſcit enim in dies diſcendi animus, & pigri ingenii habetur contentum eſſe his quæ ab aliis inventa ſunt.

V.

NATURÆ certe injurius foret qui hànc de generandis lapidibus ſententiam figmentorum colluvie vitiatam cenſeret num ſemper ſibi conſtans natura mutari neſcia in producendis animalibus & plantis ſinglare admodum & ſimplex adhibuit artificium mox ingenii immemor a propoſito deflexit & quaſi per ambages in producendis mineralibus laboravit numquam illud natura ſagax quævis naturalis corporis configuratio, ſpeciei deſtinata, addicta, conſecrata organicum eſſe corpus comprobat pluribus dum conſtat partibus iis ſibique propriis nobiliorique arte connexis, omnis autem organica ſtructura, germen, ovum, ſemen corporis

compendium ſupponit, ſunt & ſub terra minus nota nobis jura naturæ, ſed non minus certa crede infra quidquid vides ſupra.

Haud ego primus truci committo pelago ratem, ſententiam noſtram ſubolüerunt, *Mutianus Theophraſt*, *Bonus* in margarita pretioſa, *Gaſſendus* in vita Pierreſchii, variiſque argumentis confirmarunt inter recentiores medici celeberrimi.

Nec lapides haud exiguæ molis in arborum cordibus repertos in conchiliis notabilis magnitudinis, elegantiſſimos ſmaragdos, ad hypotheſim nihil conferre putes, illos in truncis, hos in conchis ſine germine creviſſe adoleviſſe, concipi vix poteſt.

Neque vos ſilebo nobiles Margaritæ ſicut venus amabiles e mari ortæ vos *Plinius* roris & oſtrearum prolem, cæleſtem dum lacrymam ſicut maritum concham luxurioſam ſitire dixit. Num inſpirata ab oſtreis cum aere & rore germina; aut cum cibis aſſumpta per totum corpus ſparſa, animalis calore foventur, explicantur, evolvuntur.

Altius tolle oculos, mox lapides, mox ferrum, non ſemel ex aere & nubibus decidiſſe comperies: horum primordia per aera dum volitant, ad partem nubis ſalino ſulphuream impinguntur, ibique ampliandi eorum ductus debitam magnitudinem adipiſcuntur quid mirum vigente germine, conferente latice ſpirituoſo vivifico, nec deficientibus ſuccis nutritiis, ad generationem nullus in natura non locus.

Ergo ex ſemine ſicut animalia & plantæ generantur lapides.